Nos Lotharius Adolphus Edmundus Liber Barò de Keſſellſtatt
Dominus in Föhren et Arenrod. Eccleſiarum Metropolitanæ Trevirenſis, et
Cathedralis Spirenſis reſpectivè Præpoſitus, Tit: S. Lubentij in Dietkirchen Archi=
Diaconus, et Canonicus Capitularis.

Honorabili ac Devoto Nobis Dilecto Theodoro Schnell Paſtori in Nenterſhauſen ArchiDioeceſeos Trevirenſis ſalutem in Domino. Vitæ ac morum tuorum integritas, aliaq; laudabilia Doctrinæ, probitatis, ac Virtutum merita quibus fide Dignorum Nobis recommendaris Teſtimonio, Nos inducunt, ut tibi favorabiliter et gratioſè inclinemur; Vacante itaq; ad præſens Canonicatu, ſivè præbenda cum annexa Paſtoria in ArchiDiaconali noſtra et Collegiata Eccleſia S. Lubentij in DietKirchen per obitum Honorabilis Domini Caſpari Schorns Die vigeſima ſexta ultimò elapſi menſis Junij piè defuncti, poſseſsoris illius noviſsimi, cuius Collatio, proviſio, ſeu quævis alia diſpoſitio ad nos ratione dicti ArchiDiaconatus noſtri in DietKirchen, toties quoties vacarè contigerit, pleno iure ſpectare et pertinere dignoſcitur, Nos tibi præfatorum meritorum tuorum intuitu Specialem Gratiam facere volentes, eundem Canonicatum ſeu præbendam cum annexa Paſtoria, cum omnibus et ſingulis juribus, fructibus, reditibus, proventibus, et emolumentis utriusq; præbendæ ſcilicet et Paſtoriæ conferendum, et de eiſdem providendum, Teq; ad illum et illam inveſtiendum duximus, prout harum Litterarum Traditione in Dei Nomine conferimus, providemus et inveſtimus; requirentes ob id omnes et ſingulos Præſbiteros, Clericos, Notarios, et Tabellarios publicos, ſivè illos ad quos ex officio et conſvetudine pertinet et ſpectat harum Litterarum noſtrarum vigore requiſitos, Quatenus Te vel procuratorem tuum legitimum, in corporalem, realem, et actualem poſseſsionem dicti Canonicatus ſeu præbendæ ac Paſtoriæ annexæ, jurium pertinentium, ac prærogativarum illorum ponant et inducant, adhibitis ad hæc omnia ſolemnitatibus debitis et conſvetis, Tibi ſeu Procuratori tuo, de illorum fructibus, reditibus, iuribus ac emolumentis univerſis reſpondeant, ac ab alijs quorum intereſt, reſponderi et ſatisfieri mandent, faciant atq; procurent. In quorum omnium et ſingulorum fidem et evidens Teſtimonium præmiſsorum præſentes noſtras Litteras ſub manus noſtræ ſubſcriptione deſuper fieri mandavimus, Sigilliq; noſtri ArchiDiaconalis Maioris |: quo in talibus uti conſvevimus :| juſsimus appenſione communiri. Datum in Ehrenbreitſtein Die Mercurij Quinta Julij, Anno Domini Milleſimo Septingenteſimo Secundo, Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris ac Domini Noſtri Clementis Undecimi Anno Secundo.

Lotharius Adolphus Edmundus L. B. de Keſselſtatt
Archidiaconus Tit. S. Lubentij et Præpoſitus in Dietkirch

Ex Mandato ſpeciali Antefati Reverendiſsimi
perillustris et Gratioſi Domini D. mei Archidiaconi

Henricus Tripp Eccl. S. Lubentij
in Dietkirchen Decanus et Commiſsarius
Archidiaconalis ibidem mpria

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 39


cm
1
2
3
4
5
6
7
8

Diözesanarchiv Limburg (DAL)

Signatur: FA/1, Nr. 39

D 19

In Nomine Dei Tri= Unius. Amen. Anno Reparatæ Salutis Millesimo Septingentesimo Secundo. Die Lunæ, quæ erat Septima Mensis Augusti, circa horam nonam Matutinam, coram Admodum Reverendis et doctissimis viris ac Dominis D: Decano et Capitularibus Archidiaconalis et Collegiatæ Ecclesiæ S. Lubentij in Dietkirchen Archidiœcesis Trevirensis in loco Capitulari in eundem finem simul congregatis Reverendus Dominus Theodorus Schnell Sacerdos et Pastor in Nentershaussen personaliter comparuit, et in vim retroscriptæ Collationis et Institutionis ad corporalem, realem et actualem intronominati Canonicatus seu Præbendæ, sicut et annexæ Parochiæ possessionem, debita cum instantia admitti petijt. Exhibitis igitur, visis ac lectis Testimonialibus sufficientibus, positis juxta Statuta ponendis ac præstitis omnibus de jure et consvetudine præstandis, insuperque præmissa Fidei Romano=Catholicæ Professione, ac consvetis Neo=Canonicorum, ac Pastoris de observandis Statutis et consvetudinibus prædictæ Ecclesiæ in Dietkirchen emissis juramentis, possessionem petitam obtinuit ac apprehendit, pro cujus reali signo per Reverendos et Doctissimos Dominos Joannem Scheurer, et Henricum Distell Canonicos ibidem Capitulares utpote ad hunc Actum Capitulariter deputatos à latere Epistolæ, sub Terna Verborum et psalmo Davidico Repetitione. Hæc Requies mea in Sæculum Sæculi etc. utpote solemnitatibus et Cæremonijs in simili possessionis actu solitis et consvetis installatus est, in præsentia R.R. DD. Jacobi Flügell, et Joannis Friderici Wilmeroth Sacerdotum et Vicariorum præfatæ Ecclesiæ, utpote Testium fide dignorum ad hunc Actum specialiter requisitorum. In quorum fidem et Evidens testimonium præsentes sigillo [illegible] sigillo munitæ, et per plur: Reverendum Dominum Decanum in Dietkirchen subscriptæ sunt. Dietkirchæ in loco, Ecclesiæ, Anno, Die, et Mense quibus supra.

Henricus Tripp Decanus
S: Lubentij in Dietkirchen

1702

A

Dietkirchen

N4

Ex Commissione Reverendissimi ac Perillustris Domini D: Lotharij Adolphi Edmundi Liberi Baronis de Kessellstatt, Domini in Föhren et Arenrath Ecclesiarum Metropolitanæ Trevirensis ac Cathedralis Spirensis respective Præpositi tit: S. Lubentij in Dietkirchen Archidiaconi et Canonici Capitularis [illegible] Notum ac Manifestum facio Omnibus et singulis Quod vigore retroscriptæ Collationis R: D: Theodorus Schnell super Collata sibi parochia in Dietkirchen Canonice institui ac investiri debita cum instantia petierit. Unde Ego Curiæ Archidiaconalis Judex et Commissarius infrascriptus, petitioni huiusmodi uti iustæ annuere volens, visis prius ac exhibitis Examinationis ac Approbatoriis Archiepiscopalis literis, præmissa ab eodem D. proviso orthodoxæ fidei professione solemni, Corporale Juramentum, a modo dicto D: recepi, quod fidelis ac obediens erit Rmo ac Clementissimo Domino Dno Nostro Archiepiscopo Trevirensi, Reverendissimo Domino Archidiacono altefato, eorumque Officialibus ac Commissarijs necnon Decano seu Rurali. Juraque ac Reditus eiusdem parochiæ manutenebit ac defendet, deperdita vero et deperditas pro posse et nosse recuperabit, imo omnia et singula ratione huiusmodi Curæ pastoralis sibi quomodocunque incumbentia ritè ac diligentissimè sine ulli defectu observabit, ut in die districti examinis coram Altissimo rationem desuper reddere valeat, prout eadem omnia ita animam suam ita recepit. Quo Juramento sic præstito ac præstitis alijs de Jure et consuetudine præstandis eundem D. Joannem Theodorum Schnell ad dictum pastoratum in Dietkirchen admisi, ac de eodem una cum omnibus et singulis illius Juribus, fructibus, Reditibus et Emolumentis universis institui ac investivi, prout per Byreti mei capiti eius impositionem, utpote Ceremonijs in simili actu consuetis institutum ac investitum esse attestor. Acta sunt hæc in præsentia Admodum Rdorum Dominorum Joannis Lanz, et Joannis Jacobi Knecht Capitularium in eadem Dietkirchen, Testium fide dignorum ad hunc Actum specialiter requisitorum. In quorum ulteriorem ac maiorem fidem has Testimoniales propria manu scriptas et subscriptas, necnon meo, pro more ad caput, Curiæ vero Archidiaconalis ad finem sub impressis sigillis munitas dedi in Dietkirchen undecima Mensis Junij, Anno Millesimo Septingentesimo Tertio etc.

Henricus Tripp Archidiaconalis et Collegiatæ Ecclesiæ
ad S. Lubentium in Dietkirchen Decanus, necnon Curiæ
Archidiaconalis ibidem Judex et Commissarius

Diözesanarchiv Limburg (DAL)
Signatur: FA/1, Nr. 39